FRANC. ERN. BRUCKMANNI, MED. DOCT. ACAD. CÆSAR. NAT. CUR. ET SOC. REG. PRUSS. SCIENT...

Franz Ernst Bruckmann

FRANC. ERNEST. BRVCKMANNI,
MED. DOCT. &c.

EPISTOLA ITINERARIA XXXIV.

DE

ANTRO SCHARTZFELDIANO ET IBERGENSI.

AD
VIRVM EXCELLENTISSIMVM, CONSVLTISSIMVM ATQVE DOCTISS. DOMINVM,
DOMINVM
AVGVSTVM JOH. HVGO,
MED. DOCT. SAC. REGIÆ MAJEST. MAGNÆ BRITANNIÆ ET ELECTOR. HANNOVERAN. CONSIL. CELEBERR. PERSONÆ REGIÆ ARCHIATRVM DIGNISSIMVM, &c.

FAVTOREM OMNI HONORIS ENCOMIO MAXIME COLENDVM.

CVM FIG. ÆNEIS.

WOLFFENB. MDCCXXXIV.

VIR EXCELLENTISSIME, CONSULTISSIME ATQUE DOCTISSIME, FAUTOR AETERNUM DEVENERANDE!

HErcynia Silva perplura antra subterranea, quorum originem cum physicis neotericis aquis, quibus, diluviorum & universalis & particularium tempore, terræ inundatæ, divulsæ & laceratæ, quæque hæc antra, nostris temporibus obvia, in telluris visceribus excavata postea reliquerunt, juste tribuimus, numerat. Inter præcipua, post *specum Baumannicum*, est *antrum Scharzfelsianum*, ad Castellum montanum *Scharzfels* dictum, quod quatuor Cellerfelda & tondem Northusa milliaria distat, quodque Merianus suo tempore in Topographia terrarum Brunsvicensium icone eleganti p. 183 exhibuit, situm. Mentionem hujus antri etiam fecerunt Berckenmeyerus in curioso Europæ antiquario p. m 477 & L. Ch. Helwigius in sic dictis Berg-Historien p. 107 P. Stephan. Amiodt in Germania in naturæ operibus admiranda p. 36 it. Joh. Hubnerus in reali Staats Lexico p. m 1595. præcipue vero omnium optime & longo anfractu celeb. quondam Physicus Northusanus, Georg. Henning Behrends, Med. Doct. in sua Hercynia curiosi Cap. II. p. 35. De statu præsenti, in quo Ao. 1723 circa ferias pentecostales, quo tempore id cum præmonstratore ingressi, illud offendimus, sequentia *Tecum*, *Vir Excell.* communicabimus. Adumbra-

bratam descriptionem & sciagraphiam istius, quam in adjecta vides tabula, *Clariss. Dom. Alb Ritterus*, mathematicus & mechanicus praestantissimus, in chartam sedulo conjecit. Litera A. designat introitum per arborem, quod ad frondes & ramos, per quos descendimus, detruncatam & in profundum praecipitatam. B. est orificium amplum, quod rupes ingens in profundum antri primi, in quo istius praegrandia lapidis fragmenta visuntur, multis retro annis collapsa excavavit. Per hanc aperturam dierum lumina, ut illustretur, in primum antrum immittuntur sic non opus candelis, ut in reliquis antris. C. est arbor quercina annosa supra nominata, quod ad brachia, quibus, scalarum loco, in descendendo usi fuimus, detruncata. An. 1729. uti nobis relatum, loco arboris quercinae scalae, vulgo eine Fahrt in primum antrum positae sunt; eodem tempore & via regia, der Königsweg dicta, per densiora arbusta, quae difficilem transitum alias permittebant, excisa sunt, quoniam Clement. Reg. Maj. Angl. Georg II in animo habuerit castellum & antra invisere, quod vero intermissum. D. specus ad latus sinistrum parva, longa quidem & alta, sed nihil in hac memoratu dignum; alia adhuc specus parva ad latus, quae vero nec longa, nec alta, nullaque in hac re mentionem meretur. E. & F. sunt plures caveae & fossae in fundo antri, quas homines, qui sic dictum Unicornu fossile fodiendo quaesiverunt, instrumentis & ligonibus fecerunt, quare in progrediendo semper cautissime. Solum hujus & reliquorum quatuor antrorum constat ex terra tenui, molliori, spongiosa & arenis mixta. G designat transitum, quem rependo genibus admodum difficulter fecimus, ex primo ad secundum spelaeum. H. Secundum magnum antrum, in quo maxima unicornu fossilis pars inventa, & adhuc quotidie rutris effoditur; stala-

ctites autem in hoc nullus nobis obvius fuit. Ossa hæc effossa putantur, sed falso & abusive, esse animalis quadrupedis unicornu. Celeb Conringius in libro de antiquo Helmstadii statu, Gigantes in his terris & regionibus ante diluvium habitasse, quorum prægrandia hæc ossa, in hoc & Baumanniano antris obvia, esse evincere tentavit. Sed Joh Georg Eccardus, Histor. quondam Prof. Helmstad ord. in Program de antiquissimo Helmstadii statu, Helmstadii in 4t. 1709 publicato, in quo integram Conringianam hypothesin destruxit, gigantes non fuisse terrarum Brunsvicensium incolas, solide demonstravit. Præterea ipse Conringius, permista hæc ossa jacere ossibus testisque animalium marinorum, fatetur; Sed ex his potius concludere debuisset, hæc ossa non gigantum, sed potius belluarum marinarum esse monumenta, per varias inundationes in hæc antra protrusa. Cum vero nobis nec ossa nec testas animalium marinorum nec in hoc nec in aliis quamplurimis antris, quorum in Europa potiora lustravimus, offendere, sed potius magnam convenientiam dentium, cranii, mandibularum & ossium cum ursi sceleto invenire licuerit, referemus interim melius ad ossa hujus bestiæ donec meliora & certiora de horum origine edocti erimus. Hominum & gigantum dentes non esse, quilibet haud difficile, qui præprimis saltim dentes incisores, ultra digitum longos & ex mandibula multo protuberantes cum humanis, quippe qui toto cœlo ab his distant, conferre voluerit, nobiscum confitebitur. Ursorum autem dentes & ossa esse, ex autopsia, & ex eo simul inducti credimus, quod in Hungaria, in sic dictis Draconum antris, ursi sua hyberna habeant, quare & ingressuri, defensionis ergo, nunquam non sclopetis & securibus muniti, in ista prorepunt. Forsan diluviorum temporibus hæc bruta, ut submersionem & mortem in aquis

aquis evitarent, hæc antra olim ingressa? forsan & diluviorum aquæ defluentes horum cadavera & feleta in hæc spelæa protruserint? sunt cogitationes, *Vir Excell*, probabiles quidem, nemini tamen obtrudendæ.

L. est transitus ad tertium antrum, in cujus orificio magnus, oblongus & triangolaris lapis, dorsum stillom, i. e. der Stiefel-Knecht dictus, positus est. Per hoc orificium admodum angustum, abdomine rependo, transivimus, K. signat in hoc tertio antro loca, in quibus stalactites, sed non figuratus, crescit & prostat, excepto tantummodo isto loco ad L. in quo binæ columnæ parvæ, unum cum dimidio vel duos pedes saltim altæ, oculis se monstrant. In hac specu, ut noster antesignanus tradebat, perhibetur esse modicum & parvum antrum, M. die arme Sunder Cammer dictum, hanc ob causam, quoniam, secundum relationem, *Sereniss* olim *Brunsvic. Dux*, *Christianus Ludovicus*, sceleratum quendam, ob flagitia ad tribunal judicatum, in hoc sepeliendum curasset.

N. Denotat angustum certe ad quartum antrum aditum, quem non, nisi summo cum nostro incommodo, abdomine rependo, quoniam totum transitus orificium in tecto stiriis acutis, dentatis, ramosis ex aqua stalactica sensim concretis horridum est, ascendere coacti fuimus.

O. Est quartum antrum, in cujus basi & fundo ex terra tenui, friabili constante, ingentis molis informia & plana frusta stalactica, sine dubio de cœlo antri delapsa, visuntur. P. Sistit integram manum ex stalactite admodum accurate, a natura mirum ludente, elaboratam, statim supra orificium, per quod ad quintum transitum antrum, inveniendam, caudique adnatam.

Q. Est apertura *antri* cujusdam novi *lateralis s. Vhl*, die Neue Hole per quam, duarum, vel duarum cum dimidia, præterpropter decempedarum spatio, laboriose

& non sine summa difficultate, abdomine repsimus; qua multo labore & sudore evicta, intravimus spelæum quoddam rotundum, omnium certe curiosissimum, unam & dimidiam decempedam altum, totum circumcirca, quod ad omnes parietes, ex stalactite, mirando spectaculo formatum, in quo quatuor viri erecti laxe satis stare poterant. In antri tecto erat foramen rotundum, ad quod aliquot gradus, commodioris escensus ergo, exsculpti, per quod homo non incommode repere poterat; quo perrepto, in abdomine iterum fiebat ulterior gressus, decempedæ mensuræ, ad terram quandam argillosam rubram, facile sola manu effodiendam. Hic limus scatet multis duris, parvulis, nigris & cinereis lapillulis nec non sabulo, quod, vulgi sermone, auro dives esse jactatur. Extranei longinqui, impr. Norimbergenses, & Veneti hujus luti sæpius, sed ordinarie clacculum, magnam quantitatem ex hoc antro petere, secumque humeris in oras peregrinas & dissitas portare, perhibentur. Portionem istius nobiscum domum gestavimus, quæ autem proba documestica examinata, nec nobis, nec aliis examinatoribus, vel micullam splendentis rutilantisque metalli, donare voluit, super foramen. Q. Se sistit rasus, naturali simillimus, stalacticus, sed admodum magnus, quique omnium populorum & gentium nasones longe superat. Ob aditum laboriosum dux rarissime curiosos in hoc antrum ducit. Reditus ex hoc antro fit, cancrorum more, supine.

R Hic ad quintum antrum orificium adest, quod vero, quod, ad rependi abdomine difficultatem, ob stiriae præacutas in toto dorso disseminatas, omnibus antecedentis multo præst

S Quintum antrum est omnium minimum vix enim quatuor vel quinque personæ, dorsis in terram pronis &

& admodum inclinatis, in isto sedere possint. Per medium speluncæ murmurans cum strepitu rivulus, qui in latere uno sub rupe prosilit, in altero vero ab alia cautere rum absorbetur, percurrit. D[illegible] plura antra lateralia incognita, quæ nemo hactenus intravit.

Per omnia quinque antra rupes in dorso, a principio ad terminum usque ultimum, horizontaliter, forsan a terræmotu? rupta est, rimamque magnam, ita ut vi[illegible] manus in istam poni possit, exhibet. Hæc fissura memoratur esse antri signum mnemonicum, vulgo das Wahrzeichen.

Hæc antra nostram rerum naturalium collectionem sequentibus locupletiorem reddiderunt, & quidem:

1. Terra brunna. 2. Arena ex brunno rubri coloris. 3. Ejusdem generis alia terra, instar farinæ mollis, omnes dicuntur auriferæ.

4. Bellarus lapideis stalacticis albis, crispata inæqualia prava granula mentientibus.

5. Lapillulis parvis variis, stalactite undique incrustatis, ab eodemque ad se invicem agglutinatis, fluorumque metallicorum forma & figura concretis.

6. Ungulis & vertebris dorsi cujusdam animalis.

7. Parte cranii, digitum ferme crassi.

8. Dentibus magnis incisoribus, caninis & molaribus, semicalcinatis, coloris ex albo, luteo, cœruleo, ac brunnum inclinante, variis, quod ad partem extra alveolos protuberantem, politis & splendentibus. Primores magni, qui omnium rarissimi sunt, & a curiosis interdum floreno emuntur, ponderant 3, 4, 5, 6, imo septem semuncias, molores 1 & 2 semuncias; minores 1, 2, 3 drachmas.

9. Fragmento mandibulæ, cum dente molari inhærente, & alveolis dentium.

10. Ma-

10 Maxillæ parte, cum dente magno prominente porro, ponderis 15 $\frac{3}{4}$ femunciarum.

11 Offibus variis partim ftalactico lapidi firmiter inhærentibus, partim folutis

12 Parte cranii humani nondum calcinati, paucos hinc ante annos forte, cafu quo nefcimus, in antrum illapfi.

Litteræ minores in tabula fignant a) caftellum vetus montanum *Scbartzfeld* in rupe fitum cum ♂ Baraquen b) diverforium. c) Præfecturæ domum Neuenhoff dictam. d) Rivum die Oder. e) Ponticulum f) Viam ad caftellum g) Viam ad pagum *Scbartzfeld*, dimidia ab hoc loco hora diftantem. h) Viam, quæ ad oppidulum montanum, Lauterberg, ducit. i) Viam ad pagum Barfs. k) Telonii domum l) Forum judicatorium ad executionem peccatorem criminalem. m) Pifcinas. n) Scalas 70 grad. o) Fortiffimam turrim, quæ tectum, ut traditur, non patitur. Duobus *Scbartzfeldio* milliaribus dicitur effe aliud permagnum antrum, das Weinloch dictum, de quo vero, cum nondum fit frequentatum, parum vel nihil dicere poffumus. Quæ Doct Behrends in fecunda Hercynia curiofæ editione de hoc profatur, aniles fapiunt fabulas.

Præter antrum jam adumbratum, d'e tertio Pafchæ erat trigefimus Martii, anni 1723. horis pomeridianis & aliud, a nemine, quod fcimus, hactenus defcriptum, in monte *Iberg* dicto, intravimus. Situm eft quadrante horæ ab oppidulo montano *Grunde*, quod unum eft ex fic dictis feptem oppidis metallicis in *Sylva Hercynia fuperiori* obvius, in *monte Ibergenfi*, proxime ad viam publicam, qua itur ad aliud oppidum metallicum, Wildemann dictum. Introitus & orificium fruticibus aridis lapidibusque, ne homines vel animalia ex improvifo in iftud delabi, artus frangere, vitæque ultima & animam

mam

nam projicere, cum immediate ad viam sit, possint, cavere tectum est. Dicto die, remotis lapidibus & fasciculis lignorum, duos metallifossores Grundenses, nobis præmonstratores, scalas, quas termino metallico Fahrten vocant, per antri, non admodum profundi, orificium ponere jussimus; his positis, habitu metallifossorum vestiti, candelisque accensis, quas Gruben-Lichter appellant, hoc spelæum ingressi sumus. Ab introitu nimis lutum & terra pinguis madida argillosa descensum nobis lubricum reddebat, quibus vero superatis, statim antrum undique, supra & infra, & ex omni latere, stalactite incrustatum, oculis & menti mirandum & elegantissimum præbebat aspectum. In duas cellas subdividebatur antrum, in quibus organa pneumatica musica, eleganti naturæ lusu, ex aqua continue guttatim cum sonitu grato & strepitu auribus blandiente decidua, inque stalactitem durum petrifacta, confecta, sed proh dolor, ferme delecta, cum fistularum major pars revulsa vel abscissa, spectabantur.

In qualibet camera fonticulus aderat aqua pellucidissima, clarissima & frigidissima refertus, sine visibili tamen in antro ipso exitu, forsan aliis montium locis profluit? Caterva vespertilionum tegmen antri firmiter obsidebat, nec facile locum, licet candelarum flamma proxime accederet, imo ureret, volatu mutabat. Dubio procul hæ aves hyberna sua in hoc antro quæsiverant? aderat & repens Salamandra Hercynia, Hartz-Molch, coloris nigerrimi, maculis & fasciis in dorso & cauda aureis eleganter picta. Forsan & hoc animalculum, frigoris evitandi causa, circa hibernum prægressi anni tempus hoc intraverat spelæum? Lapis stalacticus fere omnis hujus antri, præ illo in reliquis sylvarum Hercyniarum specubus obvio, hoc peculiare habet, quod

fit albissimus & pellucidus, instar striarum stalacticarum Norvegicarum, quarum specimina quaedam elegantiora in museis rerum naturalium hinc inde apud curiosos vidimus. Striae sunt quidem in hoc antro rarae, interim tamen par istarum accepimus, it. & stalactitem calamos scriptorios, undique aeque crassos, non aliter ac Sinterum (Sinter) Freybergense, quod ex asse referebat, praesentantem. Fragmentum hujus lapidis, pudenda mulierum exacte imitans, metallifossores instrumentis deglubere, quod & in nostro museo asservamus, jussimus. Accolae hujus *montis Ibergensis* referunt, celebres olim in isto thermas fuisse, desertas autem partim belli tricennalis tempore, partim, cum metallifodinae florere inceperint, lapidibus obrutas, ita ut nulla amplius istarum vestigia supersint; deficiunt quoque documenta, & memoria istarum saltim hodie per maricas vulgi traditiones propagatur. Verum plura de his antris non addo, praeter votum candidissimum, quo *Te, Virorum maxime*, divinae tutelae resigno, meque Tuo favori ulteriori, qui ero perpetuum

Excell. Tuae,

Wolffenbuttelae
d. 3 Febr.
1734.

dedidit.
Br. D.

(o)

Folgen-

Folgende zwey rare und schöne Diplomata inedita, nebst denen sichern Nachrichten / das alte Berg- und Felsen-Schloß Scharfels betreffende / aus den Hannöverschen und Zellischen Archiven genommen worden / wie wir vermuthen / den Historicis nicht mißfallen / deßhalb wir solche hier verbotenus, wie sie uns von einem guten Freund communiciret worden zu inseriren kein Bedencken getragen.

Das Hauß Scharfeld ist mit der Zeit an das Ertz-Stifft zu Magdeburg (auf was massen / ist unbekant) gerahten; bey welchen es auch so lange verharret / bis Kayser Lotharius III. an. 1133. zu Goslar mit Ertz-B. Norberto eine solche Umwechselung getroffen / daß der Ertz-Bischoff die damahls zum Reich gehörige Abtey zu Alsleben an der Saal zu seinem Ertz-Stifft; der Kayser aber hingegen das Castrum Schartfeld / nach Anweisung folgenden Diplomatis an sich und das Reich genommen.

IN S. & I. T. Ego Lotharius III. Dei gratia Romanorum Rex quoniam divina clementia regni nobis commisit gubernacula, ecclesias Dei restaurare, exaltare atque corroborare justum duximus. Quapropter notum esse volumus omnibus Christi fidelibus tam futuris, quam præsentibus, quod ob divinum amorem & Karissimæ nostræ conjugis *Rickeæ* dilectique ac fidelis nostri venerabilis Magdeburgensis Episcopi Norberti petitionem, ecclesiæ in honorem beatorum Apostolorum Petri & Pauli S S Martyrum Mauricii sociorumque ejus in Magdeburch constructa, legitimo concam-

bio commutavimus & tradidimus Abbatiam quandam *Alsleve* nuncupatam, plurimum tam in interioribus quam in exterioribus dilapsam, in ripa fluminis *Sala* nominati, sitam cum omnibus ad eam pertinentibus quocunque modo, animatis & inanimatis, mobilibus seu imobilibus, acquisitis & acquirendis quæsitis & inquirendis. E contra vero a præfato fideli nostro Magdeburch eccles. Episcopo Norberto per manum *Henrici ejusdem urbis* præfecti, in concambium ad usum regni suscepimus castrum quoddam *Scartvelt* nominatum, in montanis, quæ Hartz dicuntur, situm cum omnibus suis pertinentiis. Vt itaque hoc nostrum concambium & hæc nostra tradicio, omni contradictione sublata, jugiter perseveret inconvulsa, privilegium hoc inde conscribi, & nostræ imaginis impressione jussimus corroborari. Hujus autem rei testes præsentes affuerunt hic subscripti. Norbertus supra nominatus Episcopus, Udo Cicensis Episcopus, Anselmus Havelbergensis Episcopus, Bernardus Hildens. Episc. Obertus Cremonensis Episc. Gerardus Cardinalis, Anselmus Cardinalis, Albero Abbas de Nienborch, Arnolphus Abbas de Monte, Fridericus majoris Domus Præpositus, Bodo magister scolarum, Lambertus præpositus de Halla, Ungerus presbyter, Anthonius presbyter. Ex laicis principes: Henricus præfectus præfatæ urbis Fridericus Palatinus Comes, Conradus Marchio, Conradus de Plozeca, Ludevicus Comes Thuringiæ, Sifridus Comes de Hollant, Ludolfus de Welfingerode, Bernardus vice dominus de Hildensim, Widechinus de Schwalvenberch, Hademarus, Conradus.

Signum Domini Lotharii tertii, Dei Gratia Romanorum Regis invictissimi,

Ego

Ego Tidmarus ad vicem Adalberti archicancellarii recognovi. Actum Goslarie nonis Februarii anno Incarnas. Dominicæ M. C. XXX. Ind. VIII, anno vero Domini Lotharii, ex quo regnare cœpit, VI.

Es ist aber dieses Berg-Haus in solchem unmittelbahren Stande nicht lange gelassen/sondern An. 1157 durch Kayser Friderich I. gegen andere Gühter und Stücke anderweit vertauschet/ und samt dem benachbarten Hause Hertzberg, und dem altberühmten Königl. Hoff-Flecken Pöelde, Henrico Leoni Hertzogen zu Braunschw. Lüneb. und dessen Nachkommenschafft erb-und ewiglich abgetreten/ ut patet ex seq. diplomat.

I. N. S. & I. T. Fredericus divina favente clementia Romanorum Imperator & semper Augustus. Quanquam rerum commutatio ex ipsa corporali traditione possit firma consistere, ut ea, quæ legaliter geruntur, nulla valeant resingatione convelli; ne qua tamen possit esse contradendi vel commutandi dubietas, nostra debet intervenire imperialis autoritas. Notum sit ergo omnibus tam futuris quam præsentibus, Christi Imperique nostri fidelibus, qualiter dilectissimus nepos noster HENRICVS illustris Bariæ, quam habent in Suevia, castrum videlicet *Baden & centum ministeriales* & quingentos mansos nobis in proprium contradidit, hac videlicet ratione, ut nos quædam regni prædia, ex vicinitate sibi magis competentia, proprietatis donatione in eum conferremus. Verum quia imperatoriæ majestatis est, rempubl. *semper augere* & nunquam alicu-

jus

jus rei vel personæ gratia, vel in aliquo munere, *tam ex consilio quam ex judicio* principum, Alberto Machione sententiam promulgante, & ceteris Principibus *collaudantibus*, quædam *allodia* nostra quæ a Comite, Radobone, tum per paternam hereditatem nostram, tum per pecuniam non parvam comparavimus, in jus & *proprietatem regni legitime contulimus*, ut aliqua de prædiis Imperii in prædictum cariſſimum nepotem nostrum licentius transfundere poſſimus. Et itaque prædia, quæ nos regno contulimus, propriis duximus exprimenda vocabulis, Castrum videlicet Litznech cum beneficio Henrici Burggravii & cum omnibus reditibus sibi pertinentibus, Castrum Colditz & Themonem ministerialem cum liberis suis & cum omnibus prædiis & beneficiis suis, quorum summa XX - - villis consistit, munitionem quoque Luzeche & forum cum ceteris redditibus attinentibus curtem Zolen, cum foro & ceteris redditibus ad illum pertinentes, montem Glizberg, ut redditus ad illum pertinentes; montem Gonzege, castrum Moringen cum redditibus sibi attinentibus. Collatis itaque his prædiis regno, sicut prædictum est, ex consilio & judicio Principum, pro his jure concambii ademimus regno prædia hæc & dilectiſſimo Nepoti nostro Henrico Duci Bavariæ & Saxoniæ, in proprium perpetualiter tradidimus castrum videlicet HIRTZESBERCK & castrum SKARTFELDT curtem quoque *Polede* cum omnibus pertinentiis suis, præter Wildpao, quæ in foresto Hartz a nobis in beneficio habet, Adelhardum quoque de Burgdorff, pro quo superius Themonem de Colditz regno contulimus, eidem nepoti nostro cum liberis & allodio & beneficio, quod a regno habet, tradidimus. Ut autem hæc nostra traditio & commutatio nobis & Imperio, nec non jam sæpe dicto Nepoti nostro perenni stabilitate

ſtabilitate firma ſemper & inconcuſſa permaneat, præſentem inde paginam conſcribi & aurea Bulla noſtra ſignari juſſimus, annotato ſigni noſtri caractere, & adhibitis idoneis teſtibus, quorum nomina hæc ſunt: Wicmannus Magdeburgenſis AEpiſcopus, Hartwicus Bremenſis AEpiſcopus, Bruno Hildesh Epiſcopus, Albertus Marchio, Fredericus Dux Suevorum, Detericus Marchio Fredericus Palatinus Comes de Wittelinesbach & frater ejus Otto junior, Fridericus Palatinus Comes de Summereſchborch, Comes Henricus de Witin, Comes Otto de Rabensberch, Florentius Comes Hollandiæ, Comes Bertolfus de Andeſſe, Comes Poppo de Blanckenburg & filio ſui Cunradus & Sigefridus, Ludolfus de Daſſele frater Cancellarii, Marquardus de Grumbach Luitardus de Meinerdhein, Henricus de Weda Luppoldus de Hertzberch.

Signum Domini Friderici Rom. Imp. invictiſſimi.

Ego Reinaldus Cancellarius vice Arnoldi Magontini AEpiſcopi & ACancellarii recognovi. Datum Goslariæ Kl. Januarii indictione VI. Anno Dominicæ Incarnationis M. C. XVII, regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore glorioſiſſimo Anno regni ejus VI. Imperii III.

* * *

An den Buchbinder.

Die kleine Platte 1. 2. 3. 4. wird von der grossen abgeschnitten/ und über die 6. Hölen oben mit ein wenig Kleister angemacht.

* * *


a